



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

7. Per bella alijs occisis, alijs fieri in mundo locum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Si vidisset alium ante se morientem. Contempsit itaque, cuius nullum habuit prægustum. Nobis per bellicas ærumnas, per stationes, per tot cædes Deus Infernum depingit & ante oculos ponit, ut doceat detestari, quod sinit experiri. Itaq; paternè nobiscum agit, dum minora ista mala ostendit, ut declinemus aeterna mala, illorum comparatione formidata.

Quarta causa est, quia, postquam per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, necesse est, varias dari vias, per quas mors homines abducatur, ut mundum vacuet, & locum det successoribus, ut ita tandem impleatur numerus saluandorum. Neque enim sufficit, quosdam hinc decidere è vita, ob naturalium virium defectum. Cum enim haec plerumque sint ita firmæ, ut multis annis possint durare, augeretur in immensum numerum hominum multitudo, nisi extra ordinem aliqui è terra tollerentur. Multi coniuges, singulis annis, tamquam autumnales arbores, fructum ferunt: ac ne deficiat humanum genus, quædam matres pariunt gemellos; & inuenta est nuper in hac vrbe, quæ tergeminos, vna vice, dedit. Iam hi vbi maturescunt, dant & ipsi censem suum. Sic crevit ab una stirpe numerus innumerus,

VII.

Rom. 5. 12.

Virgil. lib. 3.

Æneid.

Gen. 5. 3.

*Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.*  
*Vixit Adam centum trigesinta annis: & genuit ad imaginem & simili- tudenem suam, vocauitque nomen eius Seth. Et facti sunt dies Adami, postquam genuit Seth, octingenti anni; genuitque filios & filias. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti trigesinta, & mortuus est. Si ergo singulis annis singulos liberos, vel certè liberos liberorum suscepit, quot necesse est, eum nepotes vidisse? Idem cogitari potest de Seth, cuius facti sunt omnes dies nongentorum duodecim annorum: idem de Enos, cuius facti sunt omnes dies nongentis quinque anni: idem de Cainan, cuius facti sunt omnes dies nongentis decem anni: idem de Jared, cuius facti sunt omnes dies nongenti sexa. Ibid. v. 20. ginta duo anni: idem de Mathusala, cuius facti sunt omnes dies nongenti sexaginta nouem anni; idem de Noë, cuius impleti sunt omnes dies nongentorum quinquaginta annorum. Quantam ab his necesse est prolixi multitudinem descendisse? Neque refert, vitam homi-*

Gen. 5. 8.

Ibid. v. 15.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 27.

Gen. 9. 29.

Ooooo

num

num fuisse postea breviorem; ut enim taceam, eos, qui plures du-

xerunt uxores, plures quoque liberos habuisse, & vel solum 52.

3. Reg. 11. 3.

Iomonem, cui fuerunt uxores, quasi regina, septingenta, & concubina trecenta, implendæ hominibus ciuitati fatis amplæ sufficiisse, certè pñè toto terrarum orbe iam habitato, nasci quotidie ingentem numerum infantium necesse est, ut vel è numero parentum possit æstimari copia liberorum. Angusta nimis fierent terrarum spacia, si mors naturalis omnibus foret expectanda. Diuinæ igitur prouidentiæ fuit, congruè naturis hominum, etiam alios casus permettere, quibus Mundi incolæ minuerentur. Quemadmodum,

igitur morbos, & pestilitates, & ruinas, & naufragia, & incendia,

& mille alia corporum pericula, ita etiam bella esse finit, quibus homines feriuntur, tolluntur, sepeliuntur. Hac ratione, ait

Leonard Lef-  
bus lib. 13. de  
diuin. Pers.  
cap. 9.

dctè pius author, impeditur, ne numerus impiorum insualefcat: nam cùm longa prosperitate genus humanum excrescat ultra modum, & ve- luti arbor in opimo solo inutilium & impiorum hominum multitudine tamquam frondibus & stolonibus luxuriet, Deus hac falce Bellorum ut peritus frondator, noxiæ fruticum silvam resecat, frondemq; inutilem disstringit, luxurie castigata, ut quod supereft, non opprimatur, sed iniquo liberatum onere idoneum fructum proferat. Sicut & ingentes opes, quas aliqui per fas & nefas corraserunt, Deus (tamquam medi- cus nimium sanguinem) bellis tollit, atque ex ærarijs privatis pro- tractas, in militem dispergit, alios exonerans, alios locupletans.

### VIII.

Quinta cauſa est, quia bellum dum alios tollit, alios extol- lit. Mirificè enim laudati sunt milites, qui fortiter fecerunt.

Hebr. 11. 34.

Hinc Apostolus eorum fidem virtutemque prædicat, qui fortia facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, arces muniti- mas expugnarunt, muros ferreos penetrarunt. Abrahamum ex cæde Chodorlathomor & regum, qui cum eo erant, reuertentem Melchisedech rex idem hominum diuumq; sacerdos, his verbis salu- tavit: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit calum & terram.

Gen. 14. 19.

Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt, hæc dicens, &, tamquam sacerdos, panem & vinum proferens, acclamauit triumphanti. Ipse Christus illius Centurionis fidem lau- danit, non militia desertionem imperauit (ait S. Augustinus) dicenti: Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milita, & dico

Matth. 8. 9.

S. August. lib.

22. contr.

Faust. c. 74.

buic